

## CAPUT XXV. GAUDET, QUOD SUA IN MEMORIA DEUS HABITET.

Sed ubi manes in memoria mea, Domine? Ubi illic manes? Quale cubile fabricasti illic tibi? Quale sanctuarium aedificasti tibi? Tu dedisti hanc dignationem memoriae meae, ut maneas in ea; sed in qua ejus parte maneas, hoc considero. Transcendi enim partes ejus, quas habent et bestiae, cum te recordarer; quia non ibi te inveniebam inter imagines rerum corporalium, et veni ad partes ejus, ubi commendavi affectiones animi mei, nec illic inveni te. Et intravi ad ipsius animi mei sedem, quae illi est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus, nec ibi tu eras; quia sicut non es imago corporalis, nec affectio viventis, qualis est, cum laetamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliviscimur, et quidquid hujusmodi est: ita nec ipse animus est, quia Domine, Deus animi tu es. Et commutantur haec omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia, et dignatus es habitare in memoria mea, ex quo didici te. Et quid quaero, quo loco ejus habites? quasi vero loca ibi sint? Habitas certe in ea, quoniam tui memini, ex quo te didici; et in ea te invenio, cum recordor te.

## CAPUT XXVI. UBIQUE DEUS CONSULENTIBUS IPSUM RESPONDET.

Ubi ergo te inveni, ut discerem te? Neque enim jam eras in memoria mea, priusquam te discerem. Ubi ergo inveni te, ut discerem te, nisi in te supra me! Et nusquam locus; et recedimus, et accedimus, et nusquam locus. Ubique veritas praesides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus, etiam diversa consulentibus. Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt. Omnes, unde volunt, consulunt, sed non semper, quod vōlunt, audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc a te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod a te audierit.